



**Hevin, Louis-Prudence-Alexandre -
candidat / de Bordenave, Toussaint -
président. - An in fracturis artuum
graviter complicatis amputatio illico
celebranda, vel procrastinanda ?**


1778.

***Paris : Typis Michaelis Lambert,
Regii Chirurgiae Collegii
Typographi, viâ Cithareâ
Cote : ms 2344, n°32***



1778








PERENNI MEMORIÆ
 NOBILIS VIRI
 FRANCISCI QUESNAY, EQUITIS,
 ACAD. REG. CHIR. PARIS. SECRET. PERPETUI,
 SCHOLARUM REGII PROFESSORIS,
 REGIS MEDICI PRIMARI PERPETUO ORDINARI,
 REGIQUE A CONSILIIS MEDICIS,
 ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM PARIENSIS,
 REGIÆ SOCIETATIS LONDIN. ET LUGDUN. SOCII, &c.
 AVI SUI IN PERPETUUM VENERANDI,

*Has Laboris sui primitias vovet, offert & consecrat
 LUDOVICUS-PRUDENTIUS - ALEXANDER HEVIN,
 Collegii Chirurgiæ Parisiensis Candidatus.*



FRANZISCH-GERMANISCHES
KÖNIGLICHES
KRIEGSSPITAL
N. 1
BRUNNEN
1864



T H E S E S
ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

AN IN FRACTURIS ARTUUM
GRAVITER COMPLICATIS
AMPUTATIO ILLICO CELEBRANDA,
VEL PROCRASTINANDA?

HOMINEM impugnat undequaque dira malorum cohors, dumque pro conditione sua innumeris obnoxius versatur morbis, frequentia sæpius imminent pericula, quibus nova procreatur malorum series. Equidem sic à Naturâ constitutus est homo, ut sanus diù vivere vix queat: solida, modò rigida, modò laxa, fluidorum motum & indolem pervertunt; fluida vitata solidorum actionem immutant, sicque sibi mutuo nocent concursu. At dum ità ad ruinam tendit corporea moles, crudeliùs periculosius-

A ij

que afficitur variis causis externis quæ corpus velociter impetunt, solida dilacerant, ossa conterunt, machinæ cladem intentant, sæpiùsque ipsius destructionem inter dolores & accidentia subito operantur.

Multiplicem & horrendam malorum externorum imaginem exponere supervacaneum ducimus; imperus violentos corporum externorum supra corpus humanum, sive corporis humani supra corpora externa, attendere satis sit. Huic violentiæ inter armorum tumultus sclopetorumque fragores frequentius objicitur generosus miles; hanc in adimplendis variis vitæ muniis, inter dulcia pacis otia, rariùs experitur laboriosus civis: his omnibus operam efficacem præstat Chirurgia, partes redintegrans, vel etiam pro necessitate separans, in utroque casu, non minùs salutaris. In fracturis ergò artuum complicatis non eadem est medela; dùmque partes redintegrari & conservari nequeunt, tunc unicum, licet crudele, auxilium, amputatio tentanda. An verò sæpiùs omittenda? an, dùm necessaria judicatur, citiùs celebranda vel procrastinanda? difficilius judicium, habitâ tamen ratione mali, percutientis violentiæ, commotionis, &c. solvendum. Ad eundem finem non minùs etiam attendenda partium structura quam cognitam supponimus, & de quâ, quantum ad rem pertinet, differemus.

Solutio quælibet continui facta in ossibus, à causâ externâ, violentâ, contundente, supra corpus agente, vel à corpore in eam violentiùs impingente, fractura audit; hinc distinguitur fractura à vulnere ossis & à carie.

Causæ ergò fracturarum omnes externæ, & ad actiones quas-cumque violentas, quæ ossium resistantiam superant, debent referri; hinc fracturæ simplices. Si verò vehementior sit actio, licet major sit ossium resistantia, ossa non tantùm franguntur, sed conteruntur, partes vicinæ dilacerantur, destruiturque solidorum textura; undè fracturæ complicatæ. Has inter causas annotanda sunt præ cæteris arma sclopetaria, quæ mediante pulvere

pyrio, tantâ velocitate tantoque impetu agunt, ut ossa crassiora resistere nequeant, contritaque subitò in minuta abeant fragmenta: Causæ internæ admitti nequeunt; tanquam prædisponentes tantùm habeantur.

In fracturâ quâlibet attendenda sunt ossis structura, durities, articularum connexio, partium vicinarum dispositio, sic enim inter se differunt fracturæ, & plus minùsve portentant periculi. Differunt etiam pro figurâ; indè transversa, obliqua, & attrita vel cum fragmentis, dicitur. Habitâ ratione essentiæ, vel simplex, vel composita, vel complicata distinguitur. Denique earum effectus diversi, pro variâ indole ossis fracti, pro modo fracturæ vario, pro vario loco, pro numero & figurâ fragmentorum, quantitate motûs, &c.

Visu, tactu, auditu, necnon accidentibus dignoscuntur variæ fracturarum species; at major membri distortio, partium mollium gravior contusio & dilaceratio, apparentia sæpiùs fragmenta, irritatio, convulsio fracturam complicatam indicant, undè clarior ipsius diagnosi. Cùm autem percussione violentia ultrâ partem effectus suos sæpiùs extendat, nova indè etiam oritur accidentium consequentiùm soboles, quæ mali gravitatem prænuntiant. Ipsimet ergò fracturæ non tantùm attendatur; resistentia ossis cum impetu causæ percutientis comparanda, si quidem tunc quò minor est fractura, eò majus commotionis periculum; hinc post ossa dura fracta commotio imminet in ratione reciproca minoris fracturæ.

Fracturam complicatam necessariò sequitur plurimum periculi, æstimandum pro naturâ ossis fracti, fracturæ loco, fragmentorum numero, figurâ, & magnitudine, pro partibus vicinis læsis, accidentibus, denique pro fracturæ causâ, modo percussione, &c. His & aliis circumstantiis ritè perpensis instituenda prognosis.

In fracturis complicatis, sicut & in simplicibus, ad sanationem requiruntur, quantum fieri possunt, 1°. Restitutio ossis fracti in

situm naturalem ; 2°. Retentio in situ accommodato per fascias & machinas ; 3°. Unitorum consolidatio. Hæ verò conditiones obtineri nequeunt, nisi amoveantur accidentia præsentia, & prævideantur futura, quæ curationis modum & normam sæpiùs immutant.

Extensio & Contra-extensio ad Artis leges accommodatæ præcedere debent Restitutionem ossis, quæ cautè & lentè fiet, os leniter contrectando, donec extrema fracta in locum debitum occurrant, partesque molles meliùs repositæ dolorem non patiantur. At Restitutio, licèt indicata, sæpiùs in primis temporibus non debet tentari, imò omittenda, si adsint major tumefactio, inflammatio & irritatio, donec accidentia resipiscant. Tunc tantùm, partibus in situ idoneè positis, iteratâ sanguinis missione, diætâ tenui, potu diluente, topicis emollientibus, resolventibus, aliisve pro re natâ indicatis, utendum. Dissipatis accidentibus, tutior & facilior fit Restitutio ossis, certior fracturæ sanatio, & membri conservatio. Si tamen accidentia oriantur à fragmentorum irritantium præsentia, tunc foret periculum in morâ, & licèt obstare videatur curationis ordo, celebranda nihilominùs Restitutio ossis, si quidem plus boni indè sperandum.

Si fragmenta sint libera & restitutioni obstant, eximenda ; si partes vicinas pungant & acumina eminentia extensionem planè prohibeant, excindenda, vel incisione detegenda, ut extrahantur ; partes molles tenfæ incisionibus laxentur. His & aliis mediis, evanescent accidentia, partesque restitutæ faciliùs & tutiùs redintegrantur.

Splenia, fasciæ, ferulæ, canales, aliaque machinamenta partes reductas continent ; at in fracturis complicatis cautè debent adhiberi, ipsorumque applicatio, nisi mollior, saltem in primis temporibus ferè ableganda. Vulnera, pro naturâ suâ, ex Artis legibus curentur ; apparatus idoneâ deligatione contineatur ; partesque tantùm leniter retinendæ, dùm resolvuntur accidentia. Fasciæ stric-

riores tunc nocerent; tumorem, suffocationem partis, gangrænam inducerent, dùm è contrà imminutis accidentibus, curationi feliciori favent & eam absolvunt.

Naturæ viribus unitorum consolidatio perficitur, callusque obtinetur citior aut tardior pro ætate, ossis crassitie, habitu ægrotantis, aliisque circumstantiis. Huic tantùm favet Ars situ debito, deligatione idoneâ, diætâ congruâ; nihil operantur medicamenta ignavis laudata, nocent potiùs incautè adhibita. Hinc utilia licèt contrà rigiditatem membrorum, fofus, balnea, aquæ minerales; in usum citiùs vocata, callum minùs firmum solvunt, consolidationi obstant, curationique nocent.

Fractura graviter complicata, cum ingenti contusione, partium mollium deperditione, ossium attritu, vasorum majorum læsione, difficilem admittit curationem, imminens periculum sæpiùs importat, ideòque amputationem indicat citiùs tardiùsve celebrandam. Hæc operatione, tempore idoneo tentatâ, plurimi salvi facti sunt; hæc omiffâ, at necessariâ, multò plures perierunt. Amputationem ergo artuum tunc tantùm admittit Chirurgia, dùm in extremis casibus ad vitæ conservationem tanta requiritur privatio; necessitate ducta, crudelem licèt, hanc operationem, humanitatis legibus & obsequio cedens, cautè & prudenter admittit, abusum verò hujus absolutè abnegat, & vitandam, quantum fieri potest, pronuntiat.

Amputatio, licèt indicata, sæpiùs tamen non est illicò necessaria & procrastinari potest, vel dùm minùs urgent accidentia, quibus feliciter debellatis, vitatur operatio, vel dùm hæc periculosa fieret, ob majorum accidentium præsentiam, quibus turbatur œconomia animalis & huic medelæ sustinendæ fit impar. Quid ergò ex ipsâ sperandum, quid pertimescendum attendere debet Chirurgus, ut, si utilem operam præstare non valet, saltem non noceat; hæc præsertim in fracturis artuum complicatis consideranda sunt, ut vitetur amputatio vel non; ut citiùs fiat vel procrastinetur. His

rationum momentis operatio absolute necessaria dijudicanda, idèd- que tantùm admittenda ; sic certior fit Ars , & vulneratis tutior & salubrior.

Ossibus, licèt in magnâ extensione fractis, partibusque mollibus dilaceratis ; partis restituendæ spes non amovenda, si fragmenta ossium majora sint, non urgeant accidentia, congruaque auxilia adhibeantur ; tunc enim, modò absit stupor à parte, profunt majores incisiones, quibus ossium fragmenta utilia reponuntur, inutilia separantur, educuntur corpora extranea, fluida stagnantia evacuantur, sicque vitatur amputatio.

Difficilius judicium in fracturis valdè complicatis, præsertim post vulnus sclopetarium. Ut autem aliquid tunc statuatur, considerari debent vulnerati natura & dispositio, partium affectarum conditio, contusionis gradus, partium mollium & tendinum dilaceratio, duriorum attritio, motûs impressi quantitas, æstimanda commotionis violentia cujus effectus ad alias partes sæpiùs propagantur, tantò plus pertimescendi, quò plus adest in ossè soliditatis & resistentiæ ; undè inflammatio, ingurgitatio, dolores vehementiores, convulsiones, stupor sæpiùs, mentis affectiones, animi deliquium, delirium, aliaque ejusmodi accidentia, quibus modò subvertitur corporea moles & ad ruinam tendit. Jam verò cùm adsint accidentia primitiva, consecutivaque mox oriuntur, dubitandum an citior competat amputatio vel lentior ? Sed tùm ex statu vulnerati supposito, tùm ex ipsâmet amputatione citiori, plurimum mali pertimescendum, siquidem jam sæviunt accidentia, novumque malum adderet tunc facta amputatio ; indè enim augetur dolor, irritantur nervi, mutataque circulatio, præsertim si major sit membri moles, tumorem, inflammationem, ingurgitationem, plethoram, motûsque vitalis suffocationem sæpiùs parit.

Debellatis accidentibus, amputationem felicitiùs succedere, videntur probare ratio & experientia. Ut hanc veritatem, inter dubiorum

biorum

biorum ambages, confirmaret laudandus observator, Cl. Faure (1). de cem vulneratos, in quibus indicabatur amputatio, ab aliis semovit, remissisque accidentibus amputationem celebravit; salvi facti sunt omnes, dum è contrà in amputationibus illicò tentatis plurimi perierunt; sic observationibus inter se comparatis patet hujus-ce methodi utilitas. Re quidem verâ, ad hanc curationem incisionibus accommodatis partes degurgitantur, educuntur corpora extranea, ossium fragmenta amoventur vel reponuntur, sanguinis missionibus iteratis minuitur fluidorum moles; diætâ, potu, evacuantibus, topicis, restituitur partium quies, minuuntur inflammatio, tensio, febris; evacuantur abscessus, si qui superveniant, debellatur gangræna, promovetur laudanda suppuratio, sicque sæpiùs vix speranda obtinetur curatio; vel si amputatio requiratur, sedatâ animali œconomia, vix ulla oriuntur accidentia, minor est vulneris superficies, minor fit suppuratio, sequitur successus. Id ergò attendendum, ut æger neque fortior viribus suffocetur, quod timendum in primis temporibus, neque effœtus præ debilitate occumbat.

In fracturis, præsertim post vulnera sclopetaria, complicatis, vel in vehementioribus contusionibus, attendenda etiam commotio quæ in ipsâmet parte læsâ non quiescit; cerebrum, nervos, omnesque partes afficit; cujusque tanta sæpè est violentia, ut partes stupefactæ dolorem vix patiantur; absunt ferè accidentia, vulneratus ipse quasi iners videtur, languent solida, fluida stagnant congesta oriturque sæpiùs gangræna. Tunc nocerent majores incisiones; sufficiunt sectiones necessariæ ad fluidorum stagnantium evacuationem; stimulanda solida, motus vitalis remediis idoneis revocandus. Erraret ergò, qui hanc partium inertiam pro minori malo haberet: inutilis, imò noxia, indicata licèt, tunc fieret amputatio,

(1) *Mémoire de M. Faure*, Tom. III in-4^o. *Prix de l'Académie Royale de Chirurgie*.

fi quidem dùm partem tollit, effectus à parte remotos non impedit, peritque vulneratus accidentium victima (1).

Jam verò cum experienciâ comprobatum sit accidentia vulgò cedere ad quindecimum vel vigesimum diem, indè patet tunc tantùm remissis accidentibus, sedatâque œconomiâ animali, utilem & tutam futuram esse amputationem, & è contrâ subitò factam vel paulò post ictum, necessariò periculosam esse, plurimosque morti devovere.

Licèt ad ægrorum salutem sæpiùs procrastinari debeat operatio quibusdam tamen in casibus citò celebrandam exigunt læsionis natura & accidentium gravitas.

1°. Dùm membrum quodlibet, globo è tormento bellico emisso totum abrafum est & detruncatum, tunc certè apparet amputationis necessitas. Plurima enim pertimescenda sunt accidentia à dilaceratione muscutorum, tendinum, vaforum, nervorum; à confusione, à solutione inæquali partium, ab acutis & pungentibus ossium fragmentis, à consequenti suppuratione putridâ, ab ipsâmet gangrænâ; sed hæc Artis auxilio vitari possunt, & amputatio tempestivè facta, vulnus contusum ad naturam vulneris simplicis reducit, suppurationem meliorem parat, & funestam sæpiùs partium irritationem prævenit vel dispellit. Periculosis his in casibus, licèt operationi non succedat curatio, indicationem nihilominùs secuta est Ars salutaris, & malè argueretur, si quidem ex indè certior salutis spes, nec tunc dici potest eos occidere quos non salvat.

2°. Amputandum citò, si majores articulationes fractæ sint & attritæ, nullamque admittant repositionem; cùm enim tunc etiam adsit tendinum, ligamentorum, capsularum dilaceratio, indè pejor suppuratio, facilis ossium hîc porosorum alteratio, caries, fistulæ,

(1) Hanc Doctrinam dilucidè comprobavit non satis laudandus, M. Quesnay, *Traité de la Gangrène. Chapitre de la Gangrène par contusion.*

anchylosis, aliorumque accidentium funesta proles, amputatione, imò ipsamet morte quandoque, pejor.

3°. Post vulnera sclopetaria tanta sæpè est partium dilaceratio & deperditio, ut membri conservatio nec tentari, nec sperari queat; tunc etiam amputatio citò tentanda. Tam violenta enim imminet indè accidentium procella, ut mors modò sit pertimescenda, vel lento gradu adveniens, ægro, malis, doloribus, & phtysi consumpto, fiat desideranda. Parùm utiles tunc latæ & profundæ incisiones, & partium transversæ sectiones quibus educuntur corpora extranea; mox oriuntur indè suppuratio abundans, dolores diuturni, curatio longior, caries, anchylosis, membri difformitas, sæpius actio difficilis, quæ membri utilitatem impedit; æger malo insanabili affectus vitam tristem agit, quæ certè fuisset post amputationem minùs incommoda; interrogandi plurimi sic sanati, operationem desiderassent. Frustrà ergò opponerentur rara quædam curationum exempla; annumerandi potiùs quàm plurimi, quos salvasset amputatio (1). Errat ergò hujus-ce operationis maledicus Cl. Bilguer, dùm eam rarissimè administrandam, vel etiam penitùs abrogandam declarat.

4°. Ossibus comminutim fractis, si major sit partis ingurgitatio, consequentisque gangrenæ metus, & tamen absint vehementioris commotionis accidentia, imminenti malo feliciter opponitur amputatio; post eam enim fluida ingurgitata faciliùs evacuantur, meliùs restituntur solida, & ad vivificas oscillationes excitantur. Sic admittenda operatio, quâ tempestivè factâ plures salvarentur.

5°. Dùm in fracturis complicatis cum ossis deperditione & partium mollium dilaceratione, arteria major aperta est, tentari que

(1) *Vid.* Dissert. celeberr. M. de la Martiniere, Chirurgi Regis primar. in quâ experientiâ comprobatur utilitas amputationis in quibusdam casibus, refutaturque Doctrina erronea Cl. Bilguer. In Commentar. Regiæ Academ. Chirurgiæ, Tom. IV.

nequeunt compressio vel ligatura, ità ut sanguis nullà Arte sisti valeat, tunc anceps ægri salus in amputatione citò quærenda.

6^o. Amputatio, quæ in aliis circumstantiis posset procrastinari, quandoque fit citò necessaria, inter armorum tumultus, ob vulneratorum translationem ad majorem distantiam, ob linteorum apparatusque penuriam, locorum angustiam, auxiliorum inopiam, denique dùm æger, ut decet, absolute curari non potest.

In casibus modò enumeratis amputatio videtur citò necessaria nec procrastinari potest, si tunc nulla ferè curationis spes affulget, majoraque pertimescenda sunt accidentia, quæ ægrum mox tollunt de medio. Miranda quædam exempla curationis insperatæ frustra opponerentur; rara non sunt Artis, & nihil indè concludendum, si quidem ab expectatione dubior foret salutis alea, quàm ex ipsâmet amputatione in ancipiti casu celebratâ.

Equidem plurimum periculi ex se prænuntiare videtur amputatio absque præparatione illicò facta & in ipsomet œconomix animalis tumultu, ob eretismum nervosi generis, inflammationem, fluidorum depravationem; &c. sed eam tunc exigit rerum necessitas; alioquin procrastinandam operationem pronuntiamus, cum cæteris paribus, periculosior sit in hominibus robustis vel non præparatis, quàm in debilibus & emaciatis. Major aliundè sapiùs est procrastinationis utilitas, nempè sanatio & membri conservatio; discussis enim accidentibus ossa quandoque coadunantur, partes molles redintegrantur & cicatrice obducuntur, functiones partium restituuntur. Si autem tam fausta curatio non obtineatur, tunc vel partes sponte separantur, vel naturâ monstrante viam, amputatio ad ægri salutem perficitur.

His rationibus ritè perpensis patet, amputationem sapiùs vitari, semper quantum res permittit, procrastinandam esse; & ad eam, sive subitam sive procrastinatam, ex necessitatis absolutæ legibus, tantùm esse procedendum.

*HAS Theses, DEO JUVANTE, & Preside M. TUSSANO
DE BORDENAVE, Artium & Chirurgiæ Magistro,
Scholarum Professore Regio, Regiæ Chirurgiæ Aca-
demiæ Ex-Directore, Collegii Antiquo Præposito,
è Regiâ Scientiarum Academiâ, Academiarum
Rhotomagensis, Lugdunensis & Florentinæ Socio, tueri
conabitur LUDOVICUS-PRUDENTIUS-ALEXANDER
HEVIN, Versaliensis, in alma Universitate Parisiensi
Artium Liberalium Magister, Theses Auçtor,*

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS

*Die Sabbati undecimâ Julii Anno Salutis 1778, à sesqui secundâ,
post meridiem ad septimam,*

PRO ACTU PUBLICO

E T

MAGISTERII LAUREÆ

Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii
necnon Academiæ Typographi, viâ Cithareâ,

